

pro peccatis nostris, nosque plenè redemisse, passim testatur S. Scriptura. Non tantum enim *dedit semetipsum* λύτρον & ἀντι-λύτρον *sufficiens pretium pro omnibus* Matth. XX. 28. 1. Tim. II. 6. sed fecit etiam *per semetipsum καθάρσμον*, purgationem peccatorum nostrorum Hebr. I. 3. *Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate* Tit. II. 14. *Factus est pro nobis Excratio, ut benedictio Abrahæ in omnes Gentes fieret*, h. l. Quæ profectò omnia sunt ἐνεργητικά & actum seu efficaciam significant. Itaque Christi Redemptio & Satisfactio est plenaria & quoad *sufficienciam*, & quoad *efficentiam seu efficaciam*. Quod verò apud plurimos non efficax est, quoad salutarem effectum & fructum, id fit ex accidente, quia vera fide beneficium Redemptionis sibi non applicant vel quia, ut Petrus loquitur, 2. Epist. II. 1. *abnegant Dominum, qui eos mercatus est*. Ne verò alicui imponant Calvinistæ, qui moderatiores videri volunt, utpote qui verbis quidem plenariam & universalem Redemptionis gratiam asserunt, & quoad *sufficienciam* & quoad *efficaciam*, sed reipsà negant. 1. enim supponunt *speciale absolutæ prædestinationis decretum, absolutam paucorum electionem, absolutam multorum præteritionem*. 2. diversum comminiscuntur *Redemptionis modum*, ita ut quidem *aliquo modo* pro omnibus mortuus sit Christus, sed non perinde ac pro Electis. 3. universalem redemptionem suspendunt à *conditione impræstabili*, quæ nec unquam est, nec vi absolutæ præteritiones in abscondito & irrevocabili DEi decreto factæ esse potest; scil. statuunt Christum omnes redemisse, pro omnibus satisfecisse, pro omnibus mortuum esse, *si omnes credant, si omnes respiciant*. Ast hoc ut præstent, nec velle DEum in consilio & beneplacito suo interno, nec velle ipsis dare tantam gratiam, quâ sic moveantur, ut actu verè credant. Vide hæc prolixius deducentem B. D. Scharffium, Socerum meum desideratissimum, Disputat. de Gratiâ Redemptionis thes. CX. seqq.

FINIS.

O JESU, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine tuo redemisti! Ambros.

Coll. diss. A. 211, Misc. 11